



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

III. In Domin. III. Adventus. Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem. Ioan. I. Arg. Legato m[a]nca.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

mores meos, vitamque cordi, ac brachiis imprime, quatenus eorum similitudinem in te, id est cogitationibus, actionibusque exprimas; ut qui te conspexerit, me vidisse arbitretur. Pone meitem ut signaculum in fronte tua, ut semper confitearis; in corde, ut semper diligas, in brachio, ut omnia opereris ad imitationem actionum mearum. Hac ratione mihi assimilaberis, & mea ab omnibus agnosceris.

Author & amator hujus Sponsæ Amator noster est, idemque nobis in ipsa suggerit consilium; quatenus ipsum supra præcordia, brachiaque ponamus, ne deinceps nomen inane circumferamus; ut omnia cum ipso, per ipsum, & in ipso operemur. Cum ipso

nimirum cooperando gratia ipsius, per ipsum omnia offerendo in laudem, ac gloriam omnipotentis Dei in ipso, ut quasi Personam ipsius assumpsisse videamur, operaque non tam humana, quam Theandrica exercere.

Hoc enim vero est Christianum esse, non tantum nomine, sed re ipsa Christum profiteri, ac imitari. Hoc est sui nominis esse virum, seu mensuram sui explere cognominis. Hoc est gaudere professione, ac Societate Christi JESU, quam nobis in hac per veram, sinceramque imitationem, in altera vita per indissolubilem unionem largiatur, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit, & regnat DEUS per sæcula.
Amen.

CONCIO III. IN DOMINICA III. ADVENTUS

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Levitas ad Ioannem. Ioan. I.

ARGUMENTUM.

Legatio manca.



Rdinarios Judaicæ gentis nuntios ex Evangelio præsentem accepimus. Aud. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes. Quales isti; Vel quid

nus Legatos quospiam in Bythiniam destinaret, & quidem omnes agritudini cuiuspiam, aut defectui obnoxios. Unus ex ipsis podagra conflictabatur, alter capite laborabat, tertius forsitan pleuritide excruciabatur. Marcus Cato perpenſa hac Legatione, non sine Splene, & ſarcafmo intulit: Legatio nec caput, nec cor, nec pedes habet.

Plut. in Cæſare Appian in Mithrid.

illis negotii?

Fortuito accidit, ut Senatus Roma-

C

At

At non fortuito, sed ex mera ludæorum malevolentia evenit, ut supparem retexerint Legationem ad Ioannem, *Miserunt Iudæi &c.* Certè S. Augustinus vocat eam stultam; S. Hieronymus trepidam, ac timidam indigitat; S. Chryostomus claudam, & imperfectam appellat. Si stulta, & siderata, caput non habet; si timida, excors est; si clauda, pedibus destituitur.

Admitto sensum SS. Patrum, & ostendam Legationem hanc, & Electionem S. Ioannis nec Caput, nec Cor, nec pedes habuisse; concludendo in hoc doctrinas quæ Theologicas, quæ morales.

*Solve polluti labii reatum
Sancte Ioannes.*

S. I.

Legatio Acephala.

*Ib. legatis
requiritur
Prudentia*

*Isid. lib. 4.
Ep. 104.*

II. Non ita columnas capitella, ac bases venustant, non tholi, ac colophones basilica s exornant; ut provehit Caduceatoris majestatem Caput, seu Prudentia. *Si aliquid tum ratio Legatorum debet habere caput,* scribit Isidorus Pelusitæa. Si illos honestat genus, si comitatus, si divitiarum splendor, tum imprimis sapientia, ac prudentia.

*Deos quos
mittat mun-
dos.*

Deus Optimus Maximus, qui inscrutabili Providentia, ac sapientia cuncta gubernat, identidem suos ad nos destinat, quæ cœlestes, quæ terrestres, quæ supremi subsellii, quæ infe-

rioris Caduceatores. Ex cœlo, & supremo ordine destinat, ipsa Capita, ipsas Intelligentias. Videtis identidem illos effictos in solo capite, omnibus aliis membris privatos, ac mutilos; Quoniam mysterio, aut intuitu? Quo nimirum pateat, solas esse Intelligentias, solas mentes; non tam laborare manibus, quam ingenio, sagacitate; prudentia singulari, omniaque sapientissimè exequi.

Ex terris subrogat Vates, & Apostolos. Et quales istos? Profecto non nisi cum capite. Etsi enim nonnunquam Acephali, & rudes ante electionem invenirentur; etsi nec primis labiis politices arcana delibassent; aut passim uno sapientiæ adyta frequentassent; at tamen per illam ipsam ad id muneris vocationem imbuiebantur omni sapientia, & doctrina, dicente Domino: *Ego dabo vobis os, & sapientiã, cui nõ poterunt resistere, ac contradicere omnes adversarii vestri.* Confidite, eo ipso, quod vos assumam, hoc ipso vos aptos, & idoneos efficiã ministros. Si vires deficiunt vobis, ego sufficiã; si nõ suppetit consiliũ, ratio, prudentia, ego discalabo: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

*Angeli cur
solo capite
adumbren-
tur*

Luc. 21. 25.

III. Sub tempus tamen Imperii Regis Balthasaris, Acephalum quem priam de Caduceatoribus suis destinasse ad aulam Babylonicam à Daniele Vate percipio; *in eadem hora apparuerunt digiti, quasi hominis scribentis contra candelabrum.* Verum exitu infelicissimo. Quippe sine facie apparuit, quia non tulit consocius divinæ pietatis Angelus

*Legatus im-
prudens ex-
itialis*

Dan. 5. 5.

Ius videri dum furit. Sine vultu, ut hoc pacto ostenderet, se nullò habitò respectu, aut aspectu, cæco quasi modo animadversurum. Sine vultu, ut eò ipsò acephalum exterminium indicaret; & digitum in calamum vertit, ut vel hoc ipsò sævitiam suam exprimeret. *Eadem nocte interfictus est Balthassar Rex Chaldeus.* Nempe ubi sine capite res agitur, secundam capere nequit coronidem. Precisò capite emoritur corpus; sublata sapientia ac prudentia, emoriuntur consilia. Ubi de capite actum est, de tota summa rei conclamatum est.

Ibid. v. 30.

IV. Videte autem an non fororia sit Legatio hodierna Judæorum. Exigite an non cerebro laboret, aut caput, & intellectum habuerit? Scopus illius erat honorare Joannem, ipsumque in Messiam, si admisisset adoptare; Christum etsi meruisset ipsi postponere, Vocem Verbo præferre. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis ad Joannem.* Ubi hic ratio? ubi sapientia? ubi prudentia? Nullum ex scripturis de S. Ioanne testimonium legerant; nullum oraculum de eo cœlitus acceperunt, nullum prodigium in omen Divinitatis illius viderant; & tamen illi fasces deferunt, & si admitteret, adorarent.

*Iudæorum
stultitia in
legatione ad
Joannem*

Ex adversum Christus & vaticinsii inclaruerat, & prodigiis inauditis Divinitatem suam comprobaverat, & quidquid in sacris literis de eo conscriptum erat, completum viderant? & tamen eidem titulum,

& vitulum, nomen & rem ipsam derogabant. *Miserunt ad Joannem.* Nonne hoc est explorâ cedrò ungere Rhamnum, posthabita veritate, vanitatem ac mendacium amplectari? Verbo vero, ac vivo neglecto, vocem sequi dubiam, ac evanidam?

V. Vah & quoties idiplum attentamus, ac patramus! Quoties despectato, ac desputo Verbo clamante de excelsis, ad vocem convertimur exululantem in desertis! Vocem clamantem in deserto intelligo ex mente Salomonis creaturas universas; de quibus ille: *Et hoc, quod continet omnia scientiam habet voces.* Si S. Augustinum consulamus, quænam istæ sint voces, dicit: Ipsæ species creaturarum voces sunt quædam, Creatorem laudantium.

*Creatura
voces*

Sap. 1. 7.

Voces sunt, ex quibus Sancti Dei nuducuntur, invitanturque ad Dei potentiam, sapientiam, bonitatem deprædicandam. Voces, quibus malevoli abducuntur ad summam ipsius Bonitatem, Pulchritudinem, Majestatem deserendam, ac lacessendam. Voces quæ canoro, & elato sono indicant sapientibus mundi vanitatem; Voces quæ incipientes irritant, ad suam amplectendam inanitatem.

Homines facilius convertuntur ad creaturas, quam creatorem

VI. Evenit nobis identidem, quod Samueli juveni, & rerum diviniorem etiamnum ignaro. Hunc sopori litantem evocavit Dominus:

C 2

Sa-

2. Reg. 3. 4.

Samuel, Samuel. Ille utpote nescius, à quo ea vox prodiret, cucurrit ad Heli, & ait: *Ecce ego, vocasti enim me*; idque factum secundo & tertio. Nec mirum, puer enim erat, & Dominus se illi nondum manifestaverat. Id multò insolentius, quod nos probè vocem distinguere noverimus; & tamen identidem ad creaturas à Creatore convertimur; magis aurti deprehendimur ad voces nugaces, fallaces, veteratorias excipiendas, quam ad verbum divinum admittendum, & in præcordijs servandum. O quoties, quoties verbum divinum insonat in auribus, ac præcordijs nostris, nec auditur; quoties allabatur ad intima cordis, & repellitur; stationem, ac primatum jam occupantibus vocibus, seu creaturis. Judaizamus nimirum, & Christo flocci habito Joannem præferimus; legationem desideriorum, ac votorum nostrorum, non ad Verbum, sed ad Vocem adornamus.

Dicite an non hoc sit desipere, & acephalam legationem, seu electionem reddere? Profectò si quid iudicij, si quid rationis, ac discretionis in nobis esset, receptui caneremus; nec tam ad Voces, quam ad Verbum intentiones legationum nostrarum dirigeremus; non servis creaturis, sed Domino Dominorum deferemus.

VII. Quid verò ex tali legatione, seu electione spei concipere possumus? Id sanè, quod Balthassar Rex ex sola trunca manu nuntia;

quod ab homine acephalo; quod à quopiam siderato, & à se alienato, nimirum subversionem, ac ruinam nostram. Quorquor enim secundum concupiscentias suas abeuntes, Deum, ejusque sanctissimas leges post tergum abjiciunt, utriusque protervi contemptores, turpissimi utriusque deseriores, manifesto se exponunt periculo, ne & ipsi clament, & non audiantur; à deserto Numine deleantur; & congrua gratia, de suprema Majestate læsa millies rei, destituantur ingrati. *Iussè deseritur à Deo, qui Deum deserit*, inquit S. Fulgentius. *Æquum est, ut ita se gerat Deus erga nos, postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum. Æquum ut sicut ab illo convertimur ad Voces, ad creaturas; ita ille à nobis avertatur, & ad alios sua munera transferat. Æquum ut tandem subtrahat indebitam nobis singularis benevolentia gratiam, quando nos Deo nostro debitam obedientiam, dum vivimus, aut sapius, aut fere semper subtrahimus, uno sed continuato flagitio.*

§. II.

Legatio excors

VIII. Investigemus ultra, num hæc legatio corde destituta non fuerit. Est hæc altera dos Legati cordatum, ac magnanimum, seu imperterritum esse.

Hac dote, seu notâ perinfrignes

Homo deseritur, qui Deum deserit

S. Fulgent lib. de Prad. c. 33.

Legatus sibi cordatus

gnes itidem esse ambiit, vel reddidit Dominus, quotquot ad id muneris subrogavit.

*Gabriel cur
missus à
Deo.*

Elucet id è divini conceptus nuntio, ad B. Virginem destinato, Gabriel is erat, id est fortitudo Dei; sicut vel ex nomine constaret cordatum fuisse, & ad ardua quævis tractanda peridoneum. Congruum enim erat, ut ubi ad honorificam salutantis vocem, & inauditi à sæculis mysterii novitatem pudibunda turbaretur Virgo, & suffuso pudore coloraretur in rosas, à magnanimo Ministro erigeretur, & de divini partus, salva integritate, informaretur sacramento.

*Jerem dis-
ponitur ad
vaticinan-
dum.*

IX. Elucet ex Testamenti literati Legato, Jeremia Vate, imminente Babylonica captivitate, Dei singulari clementia ad populum Israeliticum misso; quatenus eam adagendam digne pœnitentiam excitaret; & ipsam jam imminentem cervicibus, hostium macharam averterent. Is ut potuit salva obedientia ac reverentia erga Numen supremum humeros tanto oneri subducere nitebatur. Cui Dominus: *Accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego precipio tibi. Ne fornicides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* q. d. Maeste animi, & forti esto pectore in omnibus functionibus tibi committendis. Causam subdit: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, id est: Ego hodie te*

Jer. xxxvii.

Ibid. v. 18.

reddo cordatum, atque fortissimum contra quosvis adversarios tuos, ut sis quasi civitas munitissima, & quasi columna ferrea, quæ universa onera sibi imposita infracta sustineat, & quasi murus æneus, qui arietes quosvis, & bellica tormenta citra sui læsionem excipiat, ac repellat. *Ego dedi te in columnam ferream, & in murum, robore, & arte triplici in pectore obvallatum. Expedit enim inconcussum consistere, quo bases concediti sibi nituntur imperii.*

X. Elucet ex Novo Testamento, id est SS. Apostolis, & Archinuntiis Verbi incorporati. Hos ego lubens concessero, initio conversionis suæ pusillanimes, & excordes fuisse: idque in tantum, ut vel ad unius ancillæ focariæ vocem arundinis instar agerentur, vitæquæ suæ Authorem perfide ejurarent. Id enim evenit priusquam officio suo fungerentur, & ad id emitterentur. At verò ubi id obire exorsis, induti virtute ex alto, tunc perinde ac Leones irruerunt in Agnos, & ferrum, ignes, cruces, catastas, tanquam crepundia quæpiam, aut ementita terculamenta dueebant. Unde & ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam patiti.

*Apostoli in
dusi v. ru-
ca ad prædi-
cand.*

XI. Hanc dotem inter alios suspiciebant, ac inquirebant in suis Legatis Romani. Eapropter Catonem seniores Cor senatus nuncupatum duodecies hoc munere in caulis gravillimis, periculosissimisque ornatam

*Cato Cor se-
natus*

ab iis legimus. Idcirco Regulus Atilius ob infractum animum à Carthaginensibus Cordatus initiatus in ipsius legationibus, quia hostibus nequicquam contra Reipublicæ suæ dignitatem indulgere voluit, terribiliter ab iis interemptus est. Ideo alii quique in pretio habiti, & ad legationis munia adoptati.

XII. Hac eadem dote nobiles exoptarem, quotquot nuntios cogitationum suarum destinant ad statum quempiam, aut status rationem eligendam. Ohe quoties Leonem in via somniamus. vix lepore incurrentes? Quoties comminiscuntur montes in muribus? Quoties jactum ante lapidem deficimus? Quoties in ascensu minimi collis relubricamus? Meditatur quispiam sanctissimè sese sequestrare à tali vel tali persona; extirpare altum firmatas laxioris vitæ consuetudines; strictioris vitæ institutum amplectari; sed præcordiis ad obices palpitantibus, horrore rigescit, suisque in fordibus contabescit. Concipit alter propositum firmum continentia, & voto famquam muro quopiam æneo se obvalat, sed quia corde deficit, minima; vulpes transilit, obvia syren transcendit. Inducit tertius repudiatis mundi illecebris Christo Domino soli sub labaro crucis deservire; verum in sua membra, ac vites descendendo Pygmeum se reputat ad onus Giganteis humeris formidandum. Unde istud? Nempe ex defectu cordis & animi. Si illud adesset, evinceret

Puillus minimitas arguitur in electione

omnia, & vel per calcatum pergeret patrem, perque ferrea claustra, & obices eniteretur.

XIII. Et hoc defectu laborabant Judæi, ideoque non ad Christum Verbum, sed ad Ioannem Vocem Legatos suos direxerant. Audiverant enim illum in monte concionantem, arduamque viam per patientiam, paupertatem, mansuetudinem demonstrantem. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. &c.* Audierant forsitan dicentem ad alios: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et dicebant: *Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire?* Viderant Christum indies prope in civitate ipsorum, aut intra templi adyta nunquam non Censorem actionum suarum præ oculis versari; & cogitabant, si Christo deferrimus, Catonem nobis imponimus. Jam de facto gravissimè nos perstrinxit indigitando sepulchra dealbata, fermentum hypocrisis, plenos rapina, & iniquitate. Quid subinde facturus in potestate, qui tanta præsumpsit in subiectione? Jam in præsentem evocavit Matthæum è telonio, jam ejecit ementes, & vendentes in templo; quid non acturus agnitus, & habitus ut Messias? Ioannes etsi austerioris sit vitæ, attamen in Eremito, non in templo moratur; rarius nos visitabit, videbitque; suis ille rebus studebit, non nostris

Judæi Legatos sideratos mittunt

Matth. 5. 3. Luc 6. 20.

Luc. 9. 23.

se

Legatio Clauda.

se immiscebit. Quid rerum apud nos agatur vix aut ne vix quidem resciet; multò minus in nos animadvertet. Ergo Joannem præstat honorare, illi titulum Messia deferre, nobis vitulum reservare. Sed dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ: Loquatur ipse S. Doctor, & suam mentem explanet: *Securiose purabant solitudine Ioannis; ideoque conventionem Christi reformidabant. Stimulabantur conscientia suæ remorsu, & ne fortè Christus præsens unguem poneret in ulcere, maluerunt eligere Joannem Christo posthabito.*

S. August. in Ioann.

XIV. Qua in parte fororios sese exhibuere Ephraïtis, mittentibus ad Aegyptios, ac Amonitas ad idola ipsorum accersenda, de quibus Oleas: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. Quemadmodum isti speretò Deò vivò, ac verò prætulere, redarguente ipso conscientia ipsorum, idola; quæ oculos habent & non vident; manus habent, & non palpant: ita isti Christum reformidantes posthabuerunt veritatem, & elegerunt vanitatem. Facti sunt Ephraïmitæ, Columbæ seductæ non habentes cor. Nam ut ait Sapiens: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit se va, perturbata conscientia. Nemo tam audax, quem rea conscientia non faciat timidissimum. Mens flagitiola palpitat metu assiduo, & excordem, eviratumque prostituit transgressorem.**

Isa. 7. 15.

Conscientia remorsus

Sap. 17. 10.

Per affectus

XV Quid dicam de Pedibus? Pe-

des nostri, affectus nostri sunt; non minus istis anima, quam illis corpus fulcitur, ac progreditur. Claudicat his pedibus, quisquis sinistro, & pravò ducitur affectu. *Vsquequo, ait Elias ad omnem Israel, claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini eum.* Non claudicabant illi pedibus corporis, sed animi: Quippe cum Deum colerent, Diis itidem immolabant. Uno pede dextrò adhaerebant Deo, alterò sinistro deflectebant ad idola. Rectus ille erat, hic obliquus, ideo Claudiani erant: *Vsquequò claudicatis in duas partes?*

1. Reg. 18.

Turpissimum hoc vitium est, cum in omnibus aliis; tum imprimis in Feicali. Etenim si hic vacillet; si agat & præferat Claudianum, si suis rebus studeat, non communitatis, maculam haud vulgarem illi inuret. Nec secus, ac claudus casui præ aliis obnoxius est: ita ipse Rempublicam periculis, ac ruinæ exponet.

Legatis sinceritas commendatur

XVI. Macula hæc in præsentibus Judaicis Caduceatoribus perquam luculenter apparet. Testatus est palam, & expressè S. Joannes se non esse Messiam; *Confessus est, & non negavit; & confessus est, se non esse Christum.* Iterum, iterumque ob-

Ioan. 1. 20.

Ib. v. 26.

obtestatus est, ne sibi imponerent umbram pro veritate, Vocem præ Verbo sectantes. *Confessus est, & non negavit.* Insuper direxit eos ad Christum dicens: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ego Vox Clamantis, ille Verbum: *Ego baptizo in aqua, ille autem baptizabit vos in Spiritu S.* Hic multo major me est, *cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Ite ad illum, ipsum eligite, colite, de prædicare.

Quid illos retraxit in aliam partem? Quid? Interesse proprium. Quid? Sinister affectus, quo ferebantur in Joannem, tanquam ordinis, ac tribus Leviticæ. Quippe qui missi fuerant, erant Levitæ, ac Sacerdotes, & ut tales præoptabant Joannem ex tribu sua Levi, tanquam filium Sacerdotis, vel etiam agnatum, & nepotem suum; non item Christum ex tribu Juda, & regia. *Miserunt Iudei &c.* Cogitabant enim nostras ille est, patrociniabitur ille generi nostro, promoturus est ordinem, ac dignitatem, redditus, & bona nostra. Si autem Christum assumpserimus, favebit ille magis tribui Juda, in illam splendores, ac gratias suas affluentissimè diffusurus. Sit Joannes, non Christus Messias; illi, non isti fasces deferantur. Ecce hæc tota Legatio quam acephala, quam excors, quam clauda; quam vere Capite, Corde, pedibus destituta.

XVII. Utinam, utinam hac itidem in parte impiis non responderemus! Utinam sinistris non

abduceremur affectibus ad Vocem potius, quam Verbum eligendum. Quid enim causæ est, quod sæpe sapius à Christo Deo, ac Domino nostro avertimur, & convertimur delinquentes ad creaturam? Quid quod identidem lites iniquissimè decidamus? Quid quod indignissimos promoveamus, aliis bene meritis postpositis. Planè nihil aliud, quam respectus, aspectus, affectus perversus. Hic Claudianos efficit, hic avertit à Verbo ad Vocem, à Creatore ad Creaturam, à Deo ad hominem. Etsi enim ratio contrarium suaserit, solus affectus obtinet, & decidit.

XVIII. Hos ego omnes, & singulos ore Eliæ Prophetæ alloquor, & edico; *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum.* Si creditis, & confitemini Deum solum esse datorem omnis gratiæ, & gloriæ; si creditis Remuneratorem esse bonorum omnium, ac Vindicem reproborum; si creditis, qui sequitur illum, non ambulat in tenebris; si creditis, quoniam magna est gloria sequi Dominum, servite illi soli, & ambulate in semitis ejus. Non vos abstrahat caro, non supplantet Orcus, non fallat mundus; sed si *Dominus est Deus, sequimini eum.* In duabus sellis sedere non potestis, altero excidatis necesse est.

Non reputemini inter illos, d. psal. 17. quibus Plates queritur: *Filii hominum mentiri sunt ei, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt;* id

& ill'ico ad sibilum Alastoris Avernalis desciscunt. *Mentiti sunt*, quia recesserunt à me, & corde toto sequuntur Absolonem. *Mentiti sunt*, quoniam tot proposita, immo & vota mihi facta nequiter violant, & infringunt.

Inveniamur potius Davidis æmulatores, ut cum eo dicere possimus: *Statuit supra petram pedes meos, direxit gressus meos*; id est: Is qui eruit me de

omnibus malis, & reduxit me in viam rectam; statuit supra fidem, doctrinam, atque exempla Christi pedes meos, ut sequar vestigia ejus; & direxit gressus meos, quatenus recto inoffensoque gradu, vitæ cœlestis tramitem decurrant.

Inveniamur Caduceatores, & Caput, & Cor, & pedes habentes. Amen.

Psal. 39.3



CONCIO IV.

IN DOMINICA IV ADVENTVS.

Parate viam Domini. Luc. 3.

ARGUMENTUM.

LECTULUS FLORIDUS HOSPITI VENTURO
adornandus.

I Adventanti de supernis Hospiti paranda via est, quâ ingrediatur; parandum diversorium, ad quod deflectat; parandus thronus, in quo pro dignitate resideat. A. Grandis enim foret inurbanitas minore apparatu cœlestem Hospitem, ac Dominum dominantium, quàm terrestrem quempiam Summitatem excipere. Enorme rusticitatis opus, eum, cujus adventum tot votis exambivimus, tot precibus exoravimus, tot officiis demereri no-

bis allaboravimus, tandem citra ullum debiti honoris, ac venerationis obsequium suscipere; aut quod absurdius, præsentem fores oppilare. Parandum itaque diversorium, ad quod deflectat, thronus in quo resideat.

Erravi. Non thronus, sed Lectulus adornandus: Qui enim de itinere venit, non luxum, ac pompam respicit vestibuli, sed locum quietis; non discutit propelea parergis variegata, aut marmoribus incrustata, sed angulum indagat securitati, ac quieti desti-

D

na-